AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEdicorum die Iouis XI. Decembris Clariſsimo viro M. Marco Myron Doctore Medico Regio & in anguſtiori Regis conſilio conſcripto, diſceptatore.

Eſtne Empyematis diadoches ad Renes ductus azygos?

VT RERVM, ita morborum ἀνακύκλωσις, verum rerum viciſſitudines facit materiæ inexplebilis appetitus, Morborum verò μετάστασις vel diadoches partium conſenſus: conſentiunt autem inter ſeſe vicinià, communione vaſorum, operis ſocietate, vel ſubſtantiæ ſimilitudine, à qua veluti radicali principio rerum omniũ ſympathiæ repetendæ, quæ priuatiuè et poſitiuè fiunt immateriali effluuio. Morbi Epigenematici primariis funeſtiores, Empyema Anginæ, Pleuritidi, peripneumoniæ, ſuccedaneum periculoſius eſt quàm quod ſeroſi aut pituitoſi humoris collectione in Thorace, aut eiuſdem ex reliquo corpore tranſlatione, nulla præcedente febre excitatur.

PVS à calore externo potius quàm interno, putrefactione potius quàm coctione genitum, ſi longiorem moram trahat neque intra dies quadraginta, rarenter celerius niſi effera bilioſi humoris tenuitate, materiæ gargaliſmo vel orgaſmo ſtimulata expultrice, per anacatharſim concuſſiuo thoracis motu naturali, tuſſim dicunt, expuatur: fœtore (propria putredinis ſobole) cor & ſpiritus vitales ex defæcatiori ſanguine genitos inficit, acrimonia pulmonum ſubſtantiam raram & ſpongioſam erodit, vnde vlcus, quod tum ratione partis, tum ἐνδείξεως, febri hecticæ (ſymptomati vlceris indiuiduo) contrariæ, immedicabile eſt.

EMPYEMA, quod thoracis pulmonúmve purulentum phyma dicimus, futurum prænuntiant horrores frequentes (ſyſtrophicarum inflammationũ viſcerũ conſectanei ſemper) miteſcente febre, factum verò ſenſus grauitatis acuto dolori (quo à pleuritico diſtat) ſuccedaneæ, febris continua & lenta, tuſſis maior, ſpirandi difficultas, hæc συνεδρεύοντα, illud pathognomicum: ſi dum ſuppuratus in lecto ſe reuoluit percipiat fluctuationẽ tum primùm dum vires ſinunt authore Paulo, thoraci tredecim, cum Aetio quindecim, duo Omoplatis cum Celſo, pyrotica admoueto; vt puri viam facias, verum citius, non tutius auxilium percipies, ſi inter quartam & quintam ad ſupremam regionem coſtæ paracenteſi huic exitum anquiras: hæc hydropicis, illa Empyicis conſultiora. Si pus purum & album effluat ſalutis ſpes eſt fida, alioquin conclamatum.

QVAMVIS natura ipſa quidem per ſe per loca conferentia ſi quæ ſunt noxia excludat, ſi non, ὑδρῶα tenuéſque humores per cæcos ductus (eſt enim εἴσπνουν καὶ ἔκπνουν πᾶν τὸ σῶμα) criticῶς expellat, tamen cænoſo puri & craſſo vacuando patentiores viæ quærendæ ſunt quoties illa per aluum (quod Empyicis lethale eſt) aut per vrinas pus de thorace vacuat. An per venam arterioſam in dextrum cordis ſinum inde in Cauam (Portæ in hepate continuam) vnde à renibus attrahatur, tũ ſuopte, naturæ que impetu mittatur? hoc vetant valuulæ intus clauſæ: An per arteriam venoſam ad ſiniſtrum cordis ventriculum inde per aortam ad arteriam emulgentem? repugnat vitæ & ſpiritus vitalis dignitas.

ITAQVE huius expurgationis breuior ductus, azygȣ à caua aſcendente ſupra cor productæ anaſtomoſis, hæc à dextris orta ad læuam tamen per interna coſtarum interſtitia excurrens illáque nutriens ſurculos mittit, quorum quatuor totidem thorachicæ ramis ſi deeſt intercoſtalis coeunt: à ſiniſtris diaphragma permeans per tranſuerſos vertebrarum proceſſus ſub ſexti muſculi mouentis femur origine ad emulgentem ſiniſtram tribus ramis interdum, ſæpius vnico, inſeritur: à dextris eodem itinere progreſſa, ad tertiam lumbroum vertebram cum adipoſa confunditur: hàc excurrẽs Empyica illuuies ad renes inde per οὐρητῆρες ad veſicam abſque metu dyſenteriæ, λυποθυμίας, καρδιώγμȣ, συγκοπῆς, (quæ alios ductus conſequntur) expellente naturà fertur. Vnde ſtrangurioſæ vrinæ, fugaci dolore abradentes, nephriticas ementitæ, ab iis verò diſtinctæ, quòd illæ vt diuturnæ ſunt & ſanguineæ, illæ momentaneæ & purulentæ potius apparent.

Ergo Empyematis diadoches ad Renes ductus azygos.

Ponebat IOANNES LAMPERIERE Vernonicus Ebroicenſis anno CIƆ IƆ XCVII.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Paulmier	M. Iulianus Beré	M. Henricus de Monantheuil Prof. Reg.
M. Petrus Ponçon	M. Nicolaus Marchant	M. Michael Mareſcot Med. Reg.
M. Claudius Fauuelet	M. Franciſcus du Port	M. Ludouicus Thibault